

R. D. A. Nemo, qui serio et illimitate intendit finem, utitur mediis etc. C. qui serio quidem, sed non illimitate intendit N. Voluntas simpliciter seria est, quæ dat omnia media necessaria, et plene sufficientia ad obtinendum finem, ut, quantum est ex parte dantis, sequatur effectus, licet prævideatur contrarium, et adsint alia media efficaciora. Hinc in allato exemplo, qui projiceret delapso funem, quo extrahi posset, serio sane ejus liberationem vellet, præstaretque beneficium; licet cognosceretur non habere voluntatem illimitatam cum liberandi, sed permittendi interitum ex propria illius pertinacia. Quamvis vero in humanis mediorum inefficacium positio, relictis efficacioribus, plerumque licite non procedat, quia regulariter tene-mur impedire effectum malum aut damnum proximi, quantum moraliter possumus; id tamen in dispensatione divina auxiliorum locum non habet.

Nec dicas 6°. Intentio Dei inefficax ad salutarem operationem est conditionata, et hunc habet sensum: Volo, ut homo velit operari sub conditione, si velit: sed hæc conditionata intentio est stulta, ac consequenter non est seria; ergo.

R. D. 1^{am}. p. M. Voluntas Dei inefficax est formaliter ac proprie conditionata N. tantum late et secundum quid æquivalenter conditionata C. Sed hinc 2^{am}. p. N. Intentio quidem Dei de æterna omnium salute est formaliter et proprie conditionata, quia in illo testimonio Apostoli 1. ad Tim. 2. v. 4. Deus omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire, interpretantibus SS. Patribus, præsertim AMBR. et HIER., conditio subintelligitur, si nimirum etiam ipsi accedant, et vocanti Deo consentire velint: intentio autem salutaris operis respectu hominis gratia pure sufficiente præventi, est late tantum et secundum quid æquivalenter conditionata, quatenus per modum desiderii tendit indifferenter (indifferentia scilicet hominis libertatem salvam præstante) in ipsam operationem; atque ob hanc indifferentiam intentio componitur cum operationis defectu, sicut voluntas formaliter et proprie conditionata sine effectu esse potest, propter conditionem non positam.

Qua in re nihil diversum habetur a quocumque hominum desiderio, quo optant bonum ab alterius libertate dependens, quin tamen ob hanc rationem desiderium ejusmodi dicatur conditionatum, et hinc absona intentionis tendentia in argumento proposita sequatur.

Nec dicas 7°. Deus volens, ut homo operetur salutariter cum auxilio, quod inefficax fore prævidet, vellet, ut aliquid fieret contra æternam suam præscientiam, cuperetque aliquid fieri, quod certo sit non futurum: in utroque autem non potest esse voluntas seria; ergo.

R. N. M. Deus enim volens, ut homo inefficaciter vocatus operetur, non vult, ut fiat aliquid contra suam præscientiam; sed inefficaciter vult, ut fiat aliquid, quod si fieret, præscientia fuisset impedita, aversaturque, non impediri eandem: similiter Deus non vult efficaciter, quod præcognovit non esse futurum; sed tamen sincere desiderat, ut fiat id, unde sequeretur præscientiam non fuisse, et quodammodo dolet, quia ex hominis voluntate illud non est futurum.

ARTICULUS III.

AN OMNIBUS JUSTIS DETUR GRATIA SUFFICIENS?

345. Nota I. Justis omnibus non dari gratiam sufficientem ad mandata Dei observanda, vitanda peccata etc., atque hinc ad perseverandum, partim est corollarium ex erroribus Lutheri et Calvinii fluens, partim aperta Jansenii doctrina. Error Lutheri et Calvinii, quo statuunt, mandata Dei esse impossibilia etiam justis, eo quod ea non possint in hac vita impleri, scilicet ob concupiscentiæ labem, operibus hominum etiam sanctissimis adhærentem, generali quadam exclusione removet a justis auxilium sufficiens ad perseverandum mandata Dei observando. Jansenius L. de gr. Chr. c. 13. totus est in eo, ut ostendat justis etiam volentibus et conantibus secundum præsentem, quas habent vires, aliquando deesse gratiam, imo et spiritum orationis, quo possibile fiant Dei præcepta; quam erroneam doctrinam omni argumentorum genere conatus est stabilire Ant. Arnaldus in dissertatione de gratia efficaci, tanquam in persona S. Petri manifestam. Contrarium dogma est omnium Catholicorum.

346. Nota II. Jansenius de generali Dei ad salvandos omnes voluntate, et mediorum pro omnibus ad peccata vitanda præparatione testimonia Apostoli, alterum ex 1. ad Timoth. c. 2., alterum ex 1. ad Cor. c. 10. v. 13. desumptum elevare contendit, propterea quod Aug. L. de Corr. et gr. c. 15. textum primum sic explicet, ut Deus dicatur velle omnes homines salvos fieri, non quia talem voluntatem in se habet, sed quia facit nos velle ac desiderare, ut omnes salventur: secundum vero, dum idem L. de dono persev. c. 9. et HORMSDAS S. P. in ep. 15. ad Possessorem Episcopum applicet prædestinatis. His vero usurpationibus non obstantibus

Quod 1^{um}. attinet, negari nequit, quin ille textus alium sensum litteralem ac proprium habeat, qui catholicam exprimat veritatem. Liqueat id 1°. ex contextu; quia hic loci hortatur Apostolus fideles, ut Deum pro omnium salute obsecrent, et rationem addit: Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo; quod probat illico subjungens: Qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Unde sic argumentatur: Quia Deus vult omnes homines salvos fieri, bonum et acceptum coram ipso est, nos pro omnium salute orare; ergo pro eadem orare nos oportet: hæc autem argumentatio vim nullam haberet, si Deus, sine voluntate aliquos salvandi, faceret nos pro eorum salute orare.

2°. Ex consensu aliorum Patrum tum Græcorum, tum Latinorum eundem sensum litteralem sectantium.

3°. Ex ipso S. Aug., qui hanc explicationem apertissime L. de Sp. et litt. c. 33. n. 58. supponit, vel tradit, ubi interrogat: cur, si voluntas credendi donum Dei est, non omnibus detur, cum Deus velit omnes homines salvos fieri; sic respondet: Vult quidem omnes homines salvos fieri... non sic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes justissime judicentur.

Quoad 2^{um}. vero idem etiam ostenditur 1°. ex contextu; cum enim Apo-

stolus loco cit. v. 12. dicat : *Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat; quod non ad solos prædestinatos, sed ad justos omnes pertinere potest: nec v. 13. immediate subsequens ad prædestinatos solos, sed specialiter tantum et antonomastice pertinet, cujus verba sunt: Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis; sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere; quæ postrema verba S. CYPRI. interpretatur Testim. adv. Judæos L. 3. c. 91.: Faciet cum tentatione etiam evadendi facultatem; PRIMASIUS vero Comm. in hanc epist.: Illud faciet provenire, quod poteritis sustinere.*

2º. Ex epistolæ inscriptione, quæ ad omnes fideles, qui Corinthi versabantur, data erat; quin tamen illos omnes fuisse prædestinatos, ullus dicere ausit.

3º. Ex usu TRID., quod illum textum Sess. 24. de Matrim. Can. 9. extendens ad omnes Clericos in Majoribus constitutos et Regulares castitatem professos, affirmat votum castitatis ab omnibus eo adstrictis servari posse: *Cum Deus id (donum castitatis) recte petentibus non deneget, nec patietur nos supra id, quod possumus, tentari.*

4º. Ex S. AUG., qui eundem textum alibi, nempe in Ps. 61. n. 20. ad omnes saltem justos porrigit.

347. Dico. Justis omnibus urgente præcepto, quod sine gratia impleri nequit, confertur a Deo gratia proxime vel remote sufficiens, qua vere possint implere præceptum. Est de fide.

Prob. AUCTORITATE. I. SCRIPTURÆ. Hujus testimonia aperta et plurima sunt, quibus summa erga justos Dei charitas commendatur, singularis providentia et protectio promittitur, et spes eorumdem vitæ æternæ erigitur. Satis erit hic quædam addere, quæ testentur justos a Deo non derelinqui, nisi ipsi eum reliquerint. Ejusmodi sunt illud Josue 1. v. 5. a S. TH. Lect. 1. in 1. ad Cor. 1. huc derivatum: *Non dimittam, neque derelinquam te.* Ps. 36. v. 25. *Non vidi justum derelictum.* v. 28. *Dominus amat judicium, et non derelinquet Sanctos suos.* Prov. 3. postquam Salomon v. 21. jussisset justum data illi monita exequi, eorum observantiæ mercedem subjicit, et v. 25. addit: *Ne paveas repentino terrore, et irruentes tibi potentias impiorum: Dominus enim erit in latere tuo, et custodiet pedem tuum, ne capiaris.* Eccli. 2. v. 12. *Quis permansit in mandatis ejus, et derelictus est?... quoniam pius et misericors est Deus... et protector est omnibus exquirentibus se in veritate, etc.*

II. CONCILIORUM; ARAUSICANI c. 26. et TRIDENTINI, quod Sess. 6. c. 11. jubet abstinere a temeraria et a Patribus prohibita voce, Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia; ibidem una docet, justificatos a Deo sua gratia non deseri, nisi ab iis ipse deseratur: et c. 16. declarat, Christum tanquam justorum Caput jugiter in illos, utpote in membra, influere.

III. PONTIFICUM, qui tanquam temerariam, impiam, blasphemam et hæreticam damnarunt propositionem Jansenii primam. Huc pertinet etiam proscriptio Epistolæ Arnaldinæ, aliorumque opusculorum in defensionem dictæ propositionis, ab ALEX. VII. S. P. facta: Item damnatio plurium propositionum Quesnelli, quæ docent hominem sine gratia efficaci nihil posse.

IV. PATRUM, præsertim S. AUG. L. de Corrept. et Grat. c. 7. n. 11.: *Si...*

ab hac damnatione non se liberabunt qui poterunt dicere, non se audisse Evangelium Christi, cum fides ex auditu sit: quanto minus se liberabunt qui dicturi sunt, perseverantiam non accepimus? Justior enim videtur excusatio dicentium, non accepimus audientiam, quam dicentium, non accepimus perseverantiam: quoniam potest dici, homo, in eo quod audieras et tenueras, in eo perseverares si velles; nullo modo autem dici potest, id quod non audieras, crederes si velles. Adde illud in Ps. 145. n. 9. Non enim deseret opus suum, si ab opere suo non deseratur. Denique accedunt testimonia alia, per quæ L. de Nat. et Gr. c. 26. S. Doctor discrimen statuit inter medicum, qui sanat corpus, et Christum, qui justificat impium; quia ille, postquam sanavit hominem, dimittit: Ipse autem Deus.... non deserit si non deseratur, ut pie semper justeque vivatur; et in Ps. 7. n. 10. ubi expendens verba Davidis: Justum adjutorium meum a Domino, adjutorium justis concessum justum vocari dicit ex oppositione ad auxilium peccatoribus datum, quibus ex misericordia confertur; unde sequitur, justis tribui ex justitia, h. e. promissione ac fidelitate, qua Deus tenetur justis conferre auxilia sufficientia.

Conf. Ex sola hominis culpa ac vitio esse potest, quod privetur gratia ad agendum necessaria: sed nulla ex parte hominis potest fingi culpa ac causa, cur justis Deus deneget gratiam sufficientem, sine qua non possunt præceptum implere. Non enim 1. peccatum originale potest esse causa denegatæ gratiæ; quia hoc in justis per Baptismum perfecte dimissum est, nihilque in iis aut damnationis est, aut Deus odit, ut Apostolus ad Rom. 8., et TRID. Sess. 5. can. 5. loquitur. Nec 2. concupiscentia; quia hanc tum supra, tum in Tr. de Pecc., non esse peccatum, neque proin mereri pœnam, abunde ostensum est. Nec 3. est aliquod peccatum actuale præcedens; tum quia nec mortale illud esse potest, cum hic quærat de gratia prima, quæ justo negaretur, in quo peccatum supponi non potest: tum quia nequit illud dici peccatum veniale, cum adversetur summæ Dei erga justos bonitati, eos ob venialem ac levem culpam destituere omni prorsus auxilio sufficienti: quamvis enim uberiorem gratiam nonnunquam subtrahat in pœnam negligentæ, sufficientem tamen sive remote, sive proxime talem non abnegare, ex sæpe dictis manifestum est.

348. Obj. I. Sine gratia efficaci justii nec perseverare, nec adimplere mandata, nec peccata vitare, nec boni aliquid facere possunt: sed non datur justis omnibus gratia efficax; ergo nec datur illis gratia, qua perseverare etc. possunt. Maj. quoad 1^{um}, patet ex TRID. Sess. 6. Can. 22. *Si quis dixerit, justificationem.... sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, anathema sit.* Quoad 2^{um}, ex MILEV. II. Can. 5. (Lab. t. 2. p. 1539.). Quoad 3^{um}, ex epist. INNOC. I. ad Africanos (Lab. t. 2. p. 1286. A.): *Necesse est, ut, quo auxiliante vincimus, eodem non adjuvante vincamur.* Quoad 4^{um}, ex epist. COELESTINI ad Gallos c. 6. (Lab. ib. p. 4615.).

R. N. M. et ejus prob. CONCILIA enim et PONTIFICES hic tantum definiunt contra Pelagianos, gratiam generatim esse necessariam, et illam, cum bene agimus, esse efficacem; non autem excludunt gratiam sufficientem. Hinc sicut male quis argumentaretur: Concilia et Patres statuunt, nihil boni fieri posse sine gratia interiori; ergo agnoscunt tantum gratiam interiorem, omnemque exteriorem excludunt: sic etiam argumentatio hæc est fallax et

sophistica : iidem statuunt, nihil boni fieri posse sine gratia *efficaci*; ergo aliam gratiam non agnoscunt, quam efficacem.

Hujus vero *ratio* est; tum quia præcise intendebant negare possibilitatem a *Pelagianis* soli naturæ attributam: tum quia, ut præter alios PETAV. T. 3. L. 4. num. 41. notat, Concilia et Patres per *posse* vel *non posse* in ejusmodi dictionibus, ubi de gratia efficaci sermo est, non significant potentiam vel impotentiam, sed potius actum vel carentiam actus; et hoc quidem pro more loquendi a Scriptura usurpato, quæ in hunc etiam sensum exponi debet, dum Genes. 37. dicitur: *Non poterant ei quidquam pacifice loqui.* Marc. 6. *Non poterat virtutem ullam facere.* Act. 4. *Non possumus, quæ vidimus....., non loqui.*

Inst. S. Aug. docet pluribus in locis, gratiam ad perseverandum sufficientem justis deesse, ac a Deo negari. Nam L. de corr. et gr. c. 41. n. 32. postquam asseruisset, Adamo concessum esse adjutorium, sine quo perseverare non poterat; addit: *Nunc autem, quibus deest tale adjutorium, jam pena peccati est.* Item L. de don. persev. c. 22. expendens hanc propositionem: *Si qui obeditis, si prædestinati estis rejiciendi, subtrahentur obediendi vires, ut obedire cessetis;* hoc unum in ea reprehendit, quod proferatur in *secunda* persona, vultque in *tertia* exprimi ita: *Si qui obediunt, etc.* Denique iisdem in libris tractans quæstionem, cur Deus justo uni det gratiam, alteri non: recurrit ad *inscrutabilia Dei judicia*, et aliam rationem se ignorare fatetur; quod non faceret, si omnibus gratiam remote aut proxime sufficientem ad perseverandum dari censuisset, cum potuisset rationem hanc reddere: quia unus cooperatus est, alter non.

R. N. Ass. Quoad textum 1^{um}. R. Illum intelligi non posse de *justis*, utpote in quibus pœna peccati locum non habet ex dictis: nec etiam de *peccatoribus*, quasi illis negetur gratia sufficiens ex dicendis. Sensum vero proprium dedimus, ubi supra discrimen inter gratiam naturæ integræ et lapsæ, h. e. adjutorium *sine quo non* et *quo* assignavimus.

Quoad 2^{um}. R. N. id unum esse reprehensum ab Aug. Is enim ibidem propositionem illam vocat *abominabilem, durissimam et odiosam*; substituit vero talem, quæ dictum de subtractione gratiæ resecat, et est ejusmodi: *Quid sententiæ deperit, si ita dicatur: si qui obediunt, sed in regnum ejus et gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt, nec usque in finem in eadem obedientia permanebunt.* In hac vero nihil etiam *priori* deperire recte dicitur; tum quia hoc accidit, si sententiæ malitia emendatur: tum quia S. Doctor his verbis hoc unum indicat, scilicet sic emendata propositione salvam et integram adhuc remanere de perseverantia doctrinam fidei erroribus *Semi-pelagianorum* oppositam.

Quoad 3^{um}. R. N. *min. et prob.* Ratio enim hic substituta nec est *universalis*, nec *ultima*: 1^{um}. quidem; quia, si quæritur, cur e duobus æqualiter orare negligentibus uni tamen detur efficax orationis gratia, cum qua donum perseverantiæ obtineat; aut cur e duobus piis unum rapiat Deus, ne malitia mutet intellectum, dum alterum non rapit; ratio illa assignata non tenet: 2^{um}. vero; quia uno cooperante ex justis, altero non cooperante, adhuc quæritur, quare Deus illi dederit gratiam, cum qua eum cooperaturum præviderat, huic vero talem, qua operationem non conjunctum iri perspexerat; ad quam alius respondendi modus non suppetit, nisi confessio

ignorantiæ et recursus ad Deum, uti Paulus ad Rom. 11. et Aug. Libr. de don. persev. ep. 107. (al. 217.) ad Vital. alibique, exemplo suo ostenderunt.

349. *Obj. II.* Sive gratia sufficiens sumatur *proxime*, scilicet pro illustratione docente quid faciendum sit, et pro affectione inclinante ad illud faciendum; sive *remote* pro gratia orationis; ea justis subinde deest, etiam urgente præcepto: tum quia sub 1^a. acceptione nemo alias peccaret ex *ignorantia*, aut *inadvertentia*, aut indeliberato *passionis* motu: tum quia de 2^a. acceptione aliud docet S. Aug., qui L. 1. ad Simplic. q. 2. n. 21. sic inquit: *Nonne aliquando ipsa oratio nostra sic tepida est, vel potius frigida, et pene nulla, imo omnino interdum ita nulla, ut neque hoc in nobis cum dolore advertamus? quia si vel hoc dolemus, jam oramus;* ergo.

R. N. A. Quoad 1^{am}. *prob.* R. Stare posse peccatum ex *ignorantia* vel *passione* etiam cum illustratione et affectione supernaturali, si hæc sint *quasi imperceptibiles* hoc sensu, quod levio ac fugaciore sensatione intima percipiantur, atque hinc subito transeant, neque sui speciem rememorativam relinquunt; vel si *generatior* sint, et in communi proponant justitiam aut rei fugiendæ iniquitatem, et simile etiam desiderium ad Deum confugiendi moveant: quæ dum spernuntur, aut neglectu redduntur inutiles, ignorantiam ac passionem culpabilem faciunt; sed de hoc vid. §. seq.

Quoad 2^{am}. *prob.* R. 1^o. N. *Cons.* Aliud enim est oratio, aliud gratia orationis; de prima loquitur hic S. Doctor, nos autem de secunda; ubi vero idem de hac loquitur, eandem non negari justis aperte docet Tr. 26. in Joann. n. 2. *Semel accipe et intellige: nondum traheris? ora, ut traharis.* Et L. de gr. et lib. arb. c. 15. *Ad hoc valet, quod scriptum est: Si volueris, servabis mandata; ut homo, qui voluerit et non potuerit, nondum se plene velle cognoscat, et oret ut habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda mandata.*

R. 2^o. D. *Cons.* Justis quandoque deest gratia orationis efficax, per quam ferventer, sensibiliter ac perseveranter orent C. gratia vere sufficiens, per quam hic et nunc reipsa orare possint N.

Inst. S. Petrus erat justus, antequam negaret Christum; nam Joann. 13., dum Christus Apostolorum pedes lavaret, v. 10. vocat eum *lotum et mundum*. S. HILARIUS autem c. 30. in Matth. n. 4., BASILIUS hom. de Humilit., et Aug. serm. 127. de Temp. (al. in append. serm. 149. n. 3.) tribuunt dilectioni et charitati, quod Petrus se obtulerit paratum ad moriendum cum Christo lapsum sibi prædicente: sed Petro defuit gratia, qua posset tentationi mortis resistere, et non negare Christum; ergo.

Min. prob. 1^o. Ex Joann. 13. v. 36. ubi Christus Petro dixit: *Non potes me modo sequi, sequeris autem postea.* 2^o. Ex S. CHRYS., qui hom. 83. (al. 82. n. 3.) in Matth. de Petro scribit: *Etsi bene animatus fuerat, divino tamen subtracto auxilio stare non potuit.* Hom. 72. in Joann. (al. 73. n. 1.), Christus, inquit, Petrum *desertum reliquit.* Hom. 31. in ep. ad Hebr. n. 3. *Negatio Petri, ait, non tam erat socordiae ac negligentiae, quam ex eo, quod Deus eum deseruerat.* 3^o. Ex S. AUG., qui serm. 124. de Temp. (al. in append. serm. 79. n. 1.) scribit: *Quid est homo sine gratia Dei, nisi quod fuit Petrus, cum negaret Christum... Ideo B. Petrum paululum Dominus subde-*

seruit, ut in illo totum humanum genus posset agnoscere, nihil se sine Dei gratia praevalere.

R. 1^o. Argumentum hoc de S. Petro ex duplici capite inscite a *Jansenio* et *Arnaldo* proponitur ad ostendendum, justis deesse gratiam sufficientem. Primo enim per internum peccatum jam ante desiderat esse justus, quam externe negaret Christum. Tria enim ejus crimina redarguit S. CHRYS. hom. 83. in Matth., nempe quod dictis Christi negationem illius prænuntiantibus non crederet, se cæteris præferret, de se nimium præsumeret: idem fere repetit hom. 72. in Joann.; cum quo consonat S. AUG. L. 14. de Civ. c. 13. et alibi, ubi ad gratiæ amissionem manifestandam vocat Petri præsumptionem *ruinam cordis*, quam CHRYS. *crimen et casus magnitudinem* dixerat.

Unde N. M. quæ ex Scriptura non probatur, utpote quæ loquitur de Petri statu, illam præsumptionem præcedente. Quamvis autem HILARIUS et BASILIUS rem videantur tribuere amori, tamen nec ipsi dissimulant Petri præsumptionem, nec hic eorum sententiæ discrepantes attendendæ sunt, præ auctoritate CHRYS. et AUG., ad quam unice provocant adversarii, qui assumptum ex iis maxime probant: AUGUSTINUS vero illis adjunctus intelligendus est de amore *præpostero et inordinato*, ut ipse explicat serm. 106. de diversis (al. serm. 236. n. 1.). Secundo, quia Petro non tam defuit gratia sufficiens, et ad orandum, quam ipse ejus effectui obicem posuit, eamque neglexit, cum de se præsumeret, neque de orationis necessitate ac sua infirmitate monitus orare studeret.

R. 2^o. T. M. N. m. vel D. Petro defuit gratia efficax C. gratia sufficiens Subd. proxime sufficiens T. remote sufficiens N.

Ad prob. 1^{am}. N. seq. quia, cum eo tempore non urgebat præceptum moriendi, ut S. AUG. proxime laudatus docet, contra possibilitatem mandatorum Dei nihil probat, licet Petrus tum ne remote quidem sufficientem gratiam Christum morte sequendi habuerit.

Ad 2^{am}. et 3^{am}. redit prior distinctio, quam ipse AUG. confirmat, dum L. de unit. Eccles. c. 9. scribit: *Petrus, si voluisset, ter Dominum non negasset*. Quomodo autem potuisset, nisi per gratiam vere sufficientem, saltem orationis? Item dum loco postremum objecto voce *subdeseruit*, non omnimodam desertionem significante, est usus. Idem insinuat CHRYS. hom. 83. in Matth. de Petro addens: *Totum sibi attribuebat, dicens: Etsi omnes scandalizati fuerint etc.; cum dicere debuisset: Patrocinio tuo juvabis*. Cæterum, dum negat Petri peccatum tribuendum *socordiae ac negligentiae*, de illa loquitur, quæ ex timore oritur; non autem de ea, quæ ex præsumptione ac tumore nata faciebat eum negligere preces, et orationem omittere.

ARTICULUS IV.

AN PECCATORIBUS DETUR GRATIA SUFFICIENS AD AGENDAM PŒNITENTIAM?

350. Nota. Certum, Deum non præcipere impossibilia; neminem peccare in eo, quod vitare nullo modo potest. Inde sponte sua consequitur, quoscumque peccatores vel auxilia habere necessaria, quibus mandatorum observatio et abstinentia a peccatis sit possibilis, vel mandata non observando eos non peccare: quare et in præsens a nobis prætermittitur ea quæstio; an pec-

catoribus detur gratia sufficiens, ut nova peccata cavere queant? examinatur autem altera; an possibile iis sit præceptum pœnitendi, sive an peccatores pro loco et tempore habeant gratiam proxime aut saltem remote sufficientem ad pœnitendum? Quæstio spectat peccatores reprobos; quorum alii excæcati et obdurati dicuntur, qui nempe multas jam gratias et salutis media proterve rejecerunt: alii ex hujus rationis defectu obstinati non dicuntur.

Jansenius peccatoribus his omnibus sive obstinatis, sive non obstinatis passim in suis de gratia Christi libris gratiam sufficientem sensu catholico intellectam adimit: quin et inter Catholicos Theologos nonnulli reperiuntur, qui asserunt, peccatores obstinatos vel simpliciter, vel post certam aliquam gratiarum et peccatorum mensuram, omni nonnunquam ad seriam conversionem auxilio, etiam mere sufficienti, in pœnam præcedentium facinorum et neglectarum gratiarum destitui.

351. Dico. Peccatoribus etiam excæcatis et obduratis non deest pro tempore et loco gratia saltem remote sufficiens, qua possent agere pœnitentiam et mentis cæcitatem ac duritiam cordis deponere.

Prob. AUCTORITATE. I. SCRIPTURÆ. In hac nihil est frequentius, quam quod peccatores universim ac sine exceptione, imo et contumaces ac obstinati vel invitentur ad pœnitentiam, vel objurgentur, quod Deo vocanti non obediant, aut non revertantur ad Deum suum. Ejusmodi testimonia sunt Ezech. 33. v. 11.: *Vivo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat. Convertimini, convertimini a viis vestris pessimis, et quare moriemini?* 2. Petr. 3. v. 9.: *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti*. Act. 7. v. 51.: *Dura cervice et incircumcisis cordibus et auribus! vos semper Spiritui sancto resistitis*. Ad Rom. 2. v. 4.: *An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnitis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit: secundum autem duritiam tuam et impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei*. Hæc autem sive invitatio, sive exprobratio *irrisoria* foret aut *iniqua*, si peccatores destituerentur omni gratia sufficiente, utpote sine qua converti ad Deum ac rite pœnitere nequeunt; ergo.

II. CONCILIORUM. Præter ARAUS. II. LATERAN. c. Firmiter, et TRID., huc faciunt VALENT III. Can. 2. (Labb. t. 8. p. 135. E.) ubi dicitur, *malos non ideo perire, quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt*; et TRID. Sess. 6. c. 14., ubi universim sic enuntiatnr: *Qui ab accepta justificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus justificari poterunt, cum excitante Deo per Pœnitentiæ Sacramentum, ... amissam gratiam recuperare procuraverint*. Quibus verbis contra Sectarios statuitur, absolute recuperari posse gratiam ab omnibus per auxilium divinum, omnibus non tantum paratum, sed præsens, ut SENON. anno 1528. habitum, Decr. 15. exponit (Labb. t. 14. p. 457.); non autem *conditionate* tantum, si nempe auxilium detur, cum de hoc nulla controversia aut dubium fuerit.

III. PATRUM, præsertim S. AUG. in Ps. 63. n. 19. *Numquid consilii corrigendi et mutandæ vitæ malæ in bonam non est locus, non est tempus? nonne, si vis, hodie fit? nonne, si vis, modo fit?* De simili vero enuntiatione sua L. 1. Retr. c. 22. n. 4. sic loquitur: *Quod non est contra gratiam Dei, quam præ-*